



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 90. Guisius Dux in Gallias redeundi copiam postulans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

de expectare; perinde acsi in hac occasione de Dei causa ageretur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1557.

§. XC.

*Guisus Dux in Gallias redeundi copiam postulans.*

Cum interea Albæ Dux in omnibus suis conatibus prospera admodum potiretur fortuna, Guisus Caraffis, eoquod eidem auxiliis antea promissis minime præsto fuissent, infensus esse cæpit, pariterque Cardinali Lotharingio fratri suo graviter indignabatur, cum hic ejus promissis nimia facilitate fidem adhibuisset. Hasce ob causas Guisus primas eo curas intendit, ut in Franciam redire posset, quapropter datis ad Regem literis revocari postulabat: cum autem Caraffenses haud temere vererentur, ne hujus Ducis discessu eorum rebus damnum inferretur, hinc rursus illum, ut eos haud derelinqueret, sollicitabant, suisque precibus ampla addebant promissa, quibus suos liberos in obsides, datæque fidei sinceræ pignus offerebant: nec his contenti, Strozium quoque in Franciam ablegabant, qui Caraffis obstrictus, eoquod ejus frater Laurentius horum ope Cardinalitiam adeptus fuisset dignitatem, tanta dexterritate rem agebat, ut literas a Rege impetraret, quibus Guisus Dux in Italia per-

*Pallav. l. 14.*

*c. 3. n. 3.*

*Thuan. hist.*

*l. 18. n. 6.*

*hoc ann.*

**Sæc. XVI.**  
**A.C. 1557.**

permanere, atque in omnibus Pontificis voluntati obsequi jubebatur: Itaque Dux Caraffarum promissis captatus, Regisque sui mandato morem gesturus conceptam indignationem suam deponerat, ac Helvetiis, & Vasconibus, quos ad Ferrariæ Ducem, Vitricum suum miserat, revocatis ipse cum exercitu suo Maceratam contendit, novoque ardore illorum, quos paulo ante ope sua destituere decreverat, commoda procurare studuit: Ferrariensis autem Dux, cum ob copias nuper revocatas sese validis suppetiis orbatum cerneret, intra suam ditionem se continuit, residuumque militem per Mutinensem, Regiensem, & Carpensensem agrum distribuit.

§. XCI.

*Albæ Ducis consilium de invadenda Romana urbe.*

*Pallav. c. 3.*

*n. 5.*

*Thuan. l. c.*

*Raynald. n. 9*

Capta Segnia Albæ Dux concubiæ noctis beneficio Romanam urbem inopino invadere moliebatur, ut hac ratione summum Pontificem ad æquas pacis condiciones flectere valeret: Eapropter clam ex suis Tribunis duos ad hanc urbem præmisit, qui expeditum magis ingressum ad illam sedulo explorarent: iis vero rem exacte referentibus Dux cum toto exercitu suo summo mane iter instituit, ac meridiano tempore ad